

Varia.

I. Schol. Bern. ad Verg. Ge. 3, 7 haec traduntur: *Pelops corrupti praemio Myrtilum aurigam, qui Oenomai currui cereos saxidonos imposuit.* Hermannus Hagen monstrum illud 'saxidonos' domari posse censuit scribendo *axis clavos*: quod non uno nomine improbable videtur. Sed verum vidit primus scholiorum editor C. W. Mueller, raro felix in emendendo nec nisi in apertissimis mendis, cum '*axedones*' proponeret. Quae coniectura quominus Hageni plausum ferret, obstabat maxime, quod auctor probare non potuerat axedonem fuisse clavum, qui rotis inseritur. Nam eo loco qui in lexicis erat etiam tum hodieque est unicus Marcelli Empirici de medicamentis cap. 33, 65 (*si quem ad usum venerium infirmum volueris esse, ubicunque minuerit, supra lotium eius obicem, id est axedonem, ex usu figes*) Forcellinio videbatur axedo idem esse quod axis vel asserculus nec aliter Georgesio 'ein rundes Brett als Deckel', falso, ut mox videbimus. Ex corpore enim glossariorum nunc discitur id ipsum ea voce significari, quod scholiorum loco supra allato requiritur. En testimonia: CGI. II 295, 57 $\xi\mu\beta\omicron\lambda\omicron\varsigma^1$, τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον ξύλον: *axedo*, unde effectum est in 'Glossis nominum' ib. p. 569, 18 *axedo*: *lignum quo vertitur rota*; III 195, 58 (Hermen. Monac.) *paraxonia*: *asinodes* et 262, 46 (Herm. Montepess.) *paraξωμα* (lege *paraξόνια*): *asmodes*, utroque loco *axidones* corrigendum est; V 338, 21 (Gl. Ampl. cod. Ep.) *axedones*: *lynisas*, h. e. num. plur. vocis anglo-saxonicae *lynis*, quod nos etiam nunc 'Lünse' vocamus. Graecae harum glossarum interpretationes comprobantur testimonio Pollucis onom. I 145 *paraξόνιον* τὸ κωλύον τὸν τροχὸν ἐμπηγνύμενον τῷ ἄξονι, παραξόνιον ἢ ὡς Γοργίας ἐπίβολος, ἢ ὡς Ἐρατοσθένης ἔμβολος. Denique sic demum aliqua ex parte explicare licet ἀμαξηδόνια quae sunt in Schol. Eurip. Hipp. 1235 (ἐνήλατα: οἱ πασσαλίσκοι οἱ πρὸς τῷ ἄξονι, τὰ καλούμενα ἀμαξηδόνια), quae audacissima coniectura Valckenaar mutat in *paraξόνια* et Hasei (in Thes. Steph.) in *ἀξονίδια*, quae vox in Phrynicho (Bekk. Anecd. p. 58, 11) obvia fortasse in ἀξιδόνια mutanda est: nam in scholio illo quamquam in promptu est ἀξηδόνια corrigere non ausim, cf. τετρα(δρα)χμοι et similia; accedit, quod etiam Eustachius p. 598, 35 traditam lectionem testatur. Ac nescio an *axidorium*, quod Du Cange affert ex chartis duabus saeculi octavi et decimi, ubi aliquid tradi dicitur *per hostium* (= ostium) et *axidorium* vel *axidoria*, huc trahendum sit, quamquam alio significato positum est hoc et rursus alio in glossis latino-germanicis, quas Steinmeyer et Sievers ediderunt, vol. III p. 168 *axidonium*: *stuel*². Eisdem autem glossis cognoscitur etiam

¹ Male Stephanus ediderat $\xi\mu\beta\omicron\lambda\omicron\varsigma$. V. infra.

² CGI. II 514, 32 *accisulus* (i. e. acisculus): *axedonis* quid sibi velit graeca interpretatio, non exputo. Cf. II 432, 49 σκάφιον ἤτοι ἔρυε κηπουρικόν *acisculum*, unde *axinoryx* latere suspiceris coll. III

obicem in usu fuisse pro clayo rotae, v. ib. p. 678 *paxillus vel obex: lun i. e. lignum quod in axe ponitur ante rotam ne recedat*, posueruntque ita, id quod lexica ignorant, et Claudianus in laude Serenae v. 167 *nam perfidus obice regis prodidit Oenomaus deceptus Myrtilus axem* et Sidonius carm. 2, 491 *Oenomaum, natae quem fraude cadentem cerea destituit resolutis axibus obex* (Hyginus fab. 84 in eadem re '*Myrtilus clavos in rotam non coniecit*'). Iam vero apparet, qua re Marcellus posuerit *obicem id est axedonem*, nec quaerendum puto, ut in rebus magicis, cur rotae clavum nec alium quemlibet figi iusserit.

II. In Vergilii vita Donatiana cum haec legantur: *libidinis in pueros pronioris* (sequuntur argumenta) . . . *cetera sane vitae et ore et animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit*, verba quae dispestis litteris impressa sunt, alia alios criticos vexaverunt, si quidem Reifferscheidio vitae corruptum videbatur, Ribbeck ore, quod se intellegere negat, in more mutabat, Hagen *probatum* pro *probum* scribendum coniecit, cum in uno Bernensi prima manu *proba* exaratum inveniret. Nos haec verba sicut tradita sunt adeo proba et incorrupta putamus, ut ipsum Suetonium, ad quem haec tota vita Donati redire recte existimatur, sapere videantur. Nam probus ore et animo quid vocetur, optime illustratur eis quae Suetonius de gramm. 15 narrat Lenaeum Sallustium historicum, quod Pompeium *oris probi, animo inverecundo* scripsisset, acerbissima satira laceravisse, ad quem locum conferunt Sacerdotis grammatici (CGr. VI p. 462, 1 K.) illud de Pompeio qui *coloris erat rubei, sed animi inverecundi* et Plinii nat. hist. 7, 53 '*Magno Pompeio Vibius quidam . . . et Publicius fuere similes illud os probum reddentes*', quibus testimoniis addendum est Senecae ep. 11, 4 '*nihil erat mollius ore Pompeii, numquam non coram pluribus rubuit*'. Apparet probum os esse molle ac verecundum quale solet παρθένων esse vel modestum, ut Suetonius de Domitiano c. 18 '*vultu modesto ruborisque pleno*' et in sequ. '*commendari se verecundia oris adeo sentiebat*', quare vereor ut recte Baumeister (Denkmäler des class. Alterth. p. 1386) Pompei os probum verterit '*Biedermannsphysiognomie*'. Adde quod similiter Iulius Capitolinus, cui ut reliquis scriptoribus Historiae Augustae Suetonii lectio familiaris fuit, de Opilio Macrino vitae eius c. 2, 1 composuit *animi atque oris inverecundi*, Martialis epigr. 11, 103, 1 *tanta tibi est animi probitas orisque, Safroni, ut mirer fieri te potuisse patrem*. Denique etiam quod ad *cetera vitae* (vg. *cetera vita*) attingit, quae opposita sunt Vergilii in pueros pronae libidini, non ab re videtur comparare, quae Suetonius de Augusto, postquam libidinem eius circa vitiandas virgines atque aleam probavit, pergit (c. 72) *in ceteris partibus vitae continentissimum fuisse constat*. Quamquam fieri potest, ut Donatus verba Suetonii decurtarit.

325, 69 ἀειπόουε *ligo*, 204, 32 ἀ. *asciatum* (?). Contra glossa Maii Cl. Auct. VI 510 *axidones*: *sessores* vereor ne aliena sit, cf. Non. 62, 23 *assedo vel assessor*.

III. Acronis commentarii in Horatium, qui ex artis formula recensiti adhuc desiderantur, sed exspectantur ab Ottone Kellero, quam utiles sint ad cognoscendam seriorem Latinitatem uno exemplo probabimus. Haec enim ad epodorum 12, 5 habentur: *dicit se nec putorem narium nec hircum ferre, quo illa laborabat. ab hircorum enim foetore dicti sunt et olentes titilli.* Quarum vocum extremam Hauthal aut partes titillatae voluptatis i. e. muliebricia aut ipsas axillas sive alas corporis intellegendas esse censet, illud sane mire, ne dicam inepte, hoc recte. Hodieque enim in dialectis maxime Tarentina et Neapolitana ala vocatur *tetelleca*, tractum a verbo *titillicare*, quod mihi notum est tantum ex CGI. III 132, ubi γαγγαλίζειν ('kitzeln') eo explicatur. Sed sermone honesto Itali *ascella* nuncupant, quae forma et ipsa apud Acronem ep. 1, 13, 12 reperitur, sed ab Hauthalio antiquiore *axilla* mutata est. Illius formae testimonia sat multa et collegit iam Georges lex. ed. VII et videre licet in glossariis, velut CGI. III 478, 4 (Herm. Einsidl.) *μασχάλη*: *ascella* (Goetz contra codicem *axilla*), V 169, 8 *ascella*: *locus sub brachia* (sic), ib. 340, 6 (Ampl. I) *ascella*: *ocusta*, quod diminutivum anglo-saxonicum primitivae vocis *ōxn* rectius *ocusna* scribi Leo in glossario angl. p. 466, 63 notat; inde rursus *subascellandi* verbum natum est, quod quidem restituendum puto ib. p. 593, 27 *clanculare*: *occultare*, *palliare*, *subacellare* (sic), ubi alii alia, sed omnia parum probabilia proposuerunt: sub ascella abscondere, ferre aliaque passim in Vulgata leguntur, sub ala portare Horatius dicit, ὑπὸ μάλης φέρειν cet. Graeci (v. Lob. ad Phryn. 196), *palliare* autem similiter explicandum videtur 'pallio occultare'. Sed etiam avium pennae *ascellae* (ut alae) dicuntur ab Anthimo cap. 23 (*gallinarum pectora et ascellae*), Itala Matth. 23, 37 (*pullos sub ascella*), CGI. V 169, 9 *ascellulae pinnae vel squamae*, ac nescio an Apicii c. 182 *gallinarum scellae*, quas Sehuch *aucellas* vel *rusticellas* intellegit, ita interpretandae sint, conferas sis Italarum *scalogna* = cepa Ascalonia aliaque aphaereseos exempla. Prorsus igitur dubitari nequit de posteriore formae 'ascella' usu, quae in mentem revocat memorabilem vocis, quae est mulus, diminutionem *muscellus* et *muscella*, quae e codice Legionensi veteris testamenti protulit Roensch (v. collect. phil. p. 16 sq.) et recte comparavit quod in inscriptione parietaria Pompeiana n. 2016 legitur '*mulus hic muscellas docuit*' refutavitque Georgesium *muscellas* a *musca* derivantem, quamquam fugit virum doctum etiam in Cyrilli quod vocatur glossario CGI. II 373, 29 *μούλαριον*: *muscella* inveniri nec aliter *muscellum* respondere mulo atque *ascellam* alae aliaque eius generis, quae veteribus quidem diminutiva visa esse constat et puto etiam ei qui parieti illa verba illeivit. Ceterum rursus alio modo Hispani et Portugalenses hodie alam *sobaco* vel *sovaco* vocant, Sardi *suercu*, quae vulgo omnia ad *subbrachium* Isidori or. 11, 1, 65 revocantur, sed dubito an Sardiniense *suercu* tractum sit a voce *subhircus*, quam idem Isidorus memorat, cf. Cyrilli gloss. II 364, 33 *μάλη ἀνθρώπου subirico* (sic) *subala*.

Offenbaci ad Moenum.

Guil. Heraeus.